

E contra vero per accidens tenemur signa dilectionis specialia exhibere inimico in duobus præsertim casibus : 1^o Quando inimicus veniam petit. 2^o Quando ejus necessitas saltem gravis corporalis vel spiritualis ita exigit. Ratio est, quia cum in certis casibus teneamur benefacere inimico, non possunt convenientiores assignari, quam quando patitur gravem necessitatem, aut petit reconciliationem ; alioquin erit signum interni odii et grave scandalum, tam aliis, quam ipsi inimico, qui inde magis exacerbabitur et in inimicitia obfirmabitur.

Petes utrum offensus teneatur omnia condonare seu remittere inimico reconciliationem petenti.

Resp. Offensus tenetur inimico petenti reconciliationem remittere offensam simplicem quæ est sine læsione juris stricti aut damno, seu, quod idem est, deponere aversionem, indignationem seu odium, et hujus depositionis quædam signa exhibere : constat ex præcedentibus. Sed non tenetur remittere injuriam seu læsionem juris et damnum, potestque exigere pro injuria satisfactionem, et pro damno restitutionem ; quia unusquisque potest jus suum posequi apud legitimum judicem. Cavendum est tamen ne inimicus ad satisfactionem vel restitutionem cum nimio suo damno cogatur, aut ne a judice petatur satisfactio, quando ipse rationabilem offert ; id enim vix fieri potest absque aliquo appetitu vindictæ. Item, ubi agitur de poena capitis aut mutilatione, et nullum emolumentum parti læsæ inde obvenit, expedit, propter eandem rationem, illam non urgere. Secus esset, si communitas aut familia offensi maneret infamis, si offendens non puniatur secundum leges.

DISSERTATIO IV

DE ORDINE ET PRÆCIPUO ACTU CHARITATIS,
QUI EST DILECTIO

D. Thomas, qq. 26 et 27.

ARTICULUS I

Utrum Deus sit magis ex charitate diligendus, quam proximus ?

Observant communiter theologi, unum plus altero posse diligi tripliciter : 1^o Objective, quando volumus ei majus bonum quam alteri, ut si optem imperium Titio, ducatum Caio, plus objective diligo Titium quam Caium. 2^o Appetitive, quando unus pluri æstimatur quam alter, et amans ita illi afficitur, ut magis refugiat ejus quam alterius amicitiam perdere. 3^o Intensive, quando unus diligitur intensiori conatu, affectu ferventiori et perfectiori secundum gradus intensionales, quam alter.

Dico 1^o : Deus est ex charitate diligendus super omnia et præ omnibus objective et appetitive ; sicque, simpliciter loquendo, est magis diligendus quam proximus, et quam nos ipsi¹.

Ratio est, quia debemus velle Deo omne bonum, bonum infinitum, infinitas et amabiles ejus perfectiones, in iisque complacere. Item debemus ita illum æstimare, ita illi affici, ut malleus omnia perdere et pati, potius quam ipsum deserere. Atqui hoc est super omnia ipsum diligere objective et appetitive. Ergo.

Idque exprimitur in pluribus locis Scripturæ. *Matth.*, xxii, 37 et 38 : *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde*

1. Hic q. 26, a. 2, o, et a. 3, o.

tuo, et in tota anima tua, et in tota mente tua. Hoc est maximum et primum mandatum. Ibid., x, 37: Qui amat patrem aut matrem plus quam me, non est me dignus.

In hac conclusione omnes conveniunt, sed difficultas est de intensione dilectionis: an ex præcepto charitatis Deus sit intensius diligendus, quam proximus?

Suppono 1° ad rationem charitatis, secundum se non requiri intensionem; minima enim charitas justificat, et quilibet actus charitatis, etiam remissus, meretur vitam æternam, ut dissert. II probatum est.

Suppono 2° Deum esse dignum qui ametur amore perfectissimo et magis intenso, quam quælibet creatura; non potest enim tam perfecte ab ulla creatura diligere, quin perfectiori dilectione sit dignus. Et ideo inordinatum foret eligere creaturam amare intensius quam Deum; hoc enim esset judicare eam esse dignam intensiori amore, consequenter esse majus bonum et magis appetiendum: quod totum est falsum et inordinatum. Debet ergo homo eligere amare Deum summo amore et intensius quam creaturam. At utrum, si in actu dilectionis non reperiatur ista major intensio, ex conditione naturæ, ut mox explicabimus, sit inordinatio et peccatum? Affirmant quidam Lovanienses, cum Petro Soto. Non sunt tamen inter se concordēs; quidam enim dicunt hoc peccatum esse mortale, alii veniale tantum. Communior sententia negat, cum qua

Dico 2°: Non peccat contra præceptum charitatis, qui intensiori amore, sive naturali, sive supernaturali, diligit proximum quam Deum.

Prob. 1° eodem argumento quo in tract. de Pœnitentia probabimus, dolorem de peccatis non debere necessario esse maximum intensive. Intensio actus voluntatis provenit ex vehementia objecti moventis illam; inde enim fit quod majori conatu et fervore feratur in ipsum. Atqui objectum sensibile, ut est proximus, vehementius movet voluntatem, quam spirituale, ut est Deus. Ergo. — Prob. min. Quo objectum est propinquius voluntati, eo vehementius illam movet. Atqui objectum sensibile, pro hoc

statu, est propinquius voluntati, quam spirituale. Ergo. — Prob. min. Sensibilia sunt proxima et immediata sensibus. Voluntas autem pro hoc statu operatur conformiter ad illos, et ab illis dependet, quatenus sequitur cognitionem intellectus, qui pro hoc statu desumit cognitionem a sensibus. Ergo.

Confirm. Voluntas intensius fertur in minus bonum præsens, quam in majus absens, et intensius refugit minus malum præsens, quam majus absens; id experientia notum est, nec alia ratione contingit, quam quia objectum præsens propinquius est voluntati et magis ipsam movet; quamvis tamen in appetitione mallet perdere minus bonum præsens quam majus absens, et pati minus malum præsens quam majus absens.

Prob. 2°. Omnes conveniunt, ut supposuimus, nos non teneri, per se loquendo, ad maximam intensionem charitatis, neque ad certum gradum dilectionis, ut satisfiat præcepto charitatis. Suppono itaque quod nunc eliciam actum dilectionis Dei ad quatuor. Iste actus est bonus et meritorius. Postea elicio actum honestum amoris, sive naturalis, sive supernaturalis proximi ad quinque. Iste secundus actus non potest efficere quod primus, qui fuit bonus, fiat malus; transiit enim bonus, nec est amplius mutationi obnoxius. Ergo.

Si dicas, quæstionem esse de duobus actibus eodem tempore elicitis, comparando inter Deum et hominem,

Resp. Nego suppositum; duo enim actus realiter distincti non eliciuntur eodem tempore, sed sibi succedunt, et adveniente secundo, primus transit. Insuper, si quæstio sit tantum de duobus actibus eodem tempore elicitis, comparando inter se Deum et hominem, vix est quod moveatur quæstio; quandonam enim sic contingit? Imo totaliter evanescit quæstio; sic enim esset eligere amare Deum minus intense quam hominem, quod est extra quæstionem et quod fatemur esse inordinatum.

ARTICULUS II

Utrum homo debeat ex charitate magis se diligere quam proximum?

In homine duo sunt, scilicet natura spiritualis et corporalis¹. In tantum homo dicitur diligere seipsum aut proximum, in quantum diligit se vel proximum secundum naturam spiritualem.

Dico 1° : Homo debet ex charitate se magis diligere, quam proximum².

Prob. 1° ex illo, Matth., xxii, 39 : Diliges proximum tuum sicut teipsum. Ex quo videtur quod dilectio hominis ad seipsum sit exemplar dilectionis quæ est ad alterum³. Exemplar autem est potius quam exemplatum. Unde Aug., lib. I de Civit., c. 20 : « Regulam diligendi proximum, inquit, a semetipso dilector accepit. » Ergo.

Prob. 2°. Deus diligitur ut principium boni super quod fundatur dilectio charitatis⁴; homo autem diligit seipsum ut participem illius boni, et proximum ut socium in isto bono. Atqui participatio est potior consociatione, sicut unitas est potior unione. Ergo homo debet ex charitate magis se diligere quam proximum.

Dico 2° : Homo magis debet diligere proximum quam proprium corpus⁵; quia illud magis est ex charitate diligendum, quod habet plenior rationem diligibilis ex charitate. Atqui consociatio in plena participatione beatitudinis, quæ est ratio diligendi proximum quantum ad animam, est major ratio diligendi, quam participatio beatitudinis per redundantiam, quæ est ratio diligendi proprium corpus. Ergo.

Verum, quia præceptum diligendi proximum exponendo proprium corpus pro ejus salute spirituali, est affirmati-

1. Ibid., a. 4, o. — 2. Ibid. — 3. Ibid., in. arg. *Sed contra.* — 4. Ibid., o. — 5. Ibid., a. 5, o, et ad 1.

vum, licet semper obliget, non tamen obligat pro semper, sed in certis casibus necessitatis. Triplex autem distinguitur necessitas : extrema, gravis et communis. Extrema dicitur, quando proximus est in æternum periturus, nisi adjuvetur; ut si infans sit sine baptismo moriturus. Gravis, quando sine adjutorio potest absolute salvari, sed valde difficile; ut si quis morti proximus et in peccato mortali existens, petat confessionem, sine qua potest absolute salvari sola contritione, sed longe difficilius quam sacramento. Communis est in qua communiter versantur peccatores, qui communes peccandi occasiones incurrunt. Juxta hanc triplicem necessitatem,

Dico 3° : In extrema necessitate, quilibet tenetur exponere propriam vitam pro salute æterna proximi, si sit spes quod juvari possit. In gravi necessitate, tenentur solum ii quibus incumbit ex officio cura animarum. In necessitate communi, nemo tenetur.

Prob. prima pars. 1° Juxta Scripturam, I Joann., iii, 16, nos debemus pro fratribus nostris animas ponere; quod verum est saltem in extrema necessitate. Unde Aug., lib. de Mendacio, c. 6, n. 9, ait : « Temporalem plane vitam suam pro æterna vita proximi non dubitabit Christianus amittere. »

2° Tenemur exponere bona fortunæ pro salvanda vita corporali proximi in extrema necessitate positi, juxta illud, I Joann., iii, 17 : *Qui habuerit substantiam hujus mundi, et viderit fratrem suum necessitatem habere, et cluserit viscera sua ab eo : quomodo charitas Dei manet in illo?* Ergo pro salvanda ejus vita spirituali debemus vitam corporalem exponere. — Patet conseq.; quia sic se habet vita nostra corporalis ad vitam spiritualem proximi, sicut opes nostræ ad vitam ejus corporalem.

Adverte autem eos non censi in extrema necessitate, qui ex propria malitia se in periculum damnationis injiciunt, ut sunt qui bellum injustum ingrediuntur, duellum suscipiunt, et similes, qui possunt seipsis a periculo recedere.

Prob. secunda pars. Magis tenentur ii quibus incumbit

ex officio cura animarum gregi suo providere, quam ii quibus hæc cura non incumbit. Atqui hi tenentur in extrema necessitate, neutri tenentur in communi. Ergo ii tenentur in gravi necessitate, quibus incumbit ex officio cura animarum, et non alii.

Aliunde, durum foret obligare privatum, qui nullam alterius curam suscepit quam eam generalem quam cuique Deus mandavit de proximo suo, pro ejus salute vitam profundere extra extremam necessitatem. Secus esset, si ageretur tantum de aliquo damno in bonis fortunæ; illud enim pati deberet privatus pro salute proximi.

Hinc inferes, pastores teneri cum periculo vitæ, puta tempore pestis, administrare sacramentum pœnitentiæ suis parochianis; quia, licet possint absolute salvari cum contritione, difficile tamen, longe autem facilius cum attritione et sacramento: unde sunt, si non extrema, saltem in gravi necessitate. Quantum ad administrationem sacramentorum Eucharistiæ et Extremæ Unctionis, vide quæ scripsimus in tract. de Eucharistia, dissert. VII, a. 4, Petes 5º et in tract. de Extrema Unctione art. 7, Petes 2º.

Tertia pars est manifesta; quia necessitas communis, a qua quilibet seipsum non ita difficile expedire potest, et melius quam quivis alius, non est tanta, ut pro illa vitam profundere teneamur.

[Attamen in communi seu ordinaria necessitate utriusque ordinis, corporalis scilicet et spiritualis, proximo succurrendum est cum levi incommodo. 1º Succurrendum est, quia amor proximi hoc exposcit, et aliunde, si omnes hoc officium omitterent, necessitas communis gravis vel etiam extrema evaderet. 2º Cum levi incommodo tantum, quia ordinarie proximus facile se expedit a tali necessitate, et si per breve tempus eam pati cogatur, non est ei nimis molesta.

Nec teneris omnibus in communi necessitate positus opitulari; quia alii eadem obligatione tenentur, et nemo posset eam solus implere.

Petes utrum homo possit exponere propriam vitam corporalem pro vita corporali proximi.

Ante resp., suppono 1º licere, imo quandoque oportere exponere bona temporalia pro salute corporali proximi, pretiosior enim est vita proximi bonis nostris temporalibus.

Suppono 2º, ubi agitur de bono communi, et vita personæ reipublicæ necessariæ, quemlibet posse et teneri exponere vitam propriam pro ejus vita servanda.

Suppono 3º, ubi agitur de vita æqualis, si me credam in peccato mortali, aut si vita mea sit familiæ meæ vel aliis necessaria, non licere vitam meam pro alterius vita exponere. His suppositis,

Resp. Non licet vitam propriam exponere pro vita alterius æqualis secundum se præcise considerata, seu spectando præcise vitam et vitam; esset enim diligere proximum, non sicut seipsum, sed plus quam seipsum, quod est contra ordinem charitatis. Probabilius tamen licet ex motivo virtutis christianæ.

Prob. hæc secunda pars verbis Christi, *Joann.*, xv, 13: *Majorem hac dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis;* quod potest generaliter intelligi etiam de salute corporali, ut intellexit Chrysost., lib. II de *Sacerd.* Præterea, licitum est præferre bonum virtutis bono corporis, ubi necessitas ita exigit.

Ex hac probabili sententia inferunt plures theologi quod, si duo sint in extrema necessitate, unus possit alteri dare unicum panem quem habet; in fuga hostium possit concedere equum, quamvis pedibus fugere non possit; grassante peste, possit servire infirmis; in naufragio, possit cedere tabulam quam posset occupare, aut jam occupavit: si tamen nondum ea cœpit uti; in hoc enim casu, inquit Sylvius, cedere tabulam, esset se precipitare in mare, quod videtur pertinere ad occisionem sui, quæ nunquam licita est.]

ARTICULUS III

Quis ordo servandus sit in dilectione proximorum?

[Cum, in iis in quibus invenitur aliquod principium, ordo attendatur secundum comparisonem ad illud principium, et cum principium dilectionis sit Deus et ipse diligens, necesse est quod secundum majorem propinquitatem ad alterum istorum principiorum major sit dilectionis affectus.

Dico 1°: Meliores sunt magis objective diligendi, quam nobis conjunctiores minus boni: quatenus secundum eorum præsentem justitiæ statum debemus illis velle majorem beatitudinis participationem, quam nobis conjunctioribus minus bonis, secundum præsentem eorum statum; quia ad charitatem pertinet ut velit justitiam Dei servari, secundum quam qui sunt meliores, plus beatitudinis participant¹.

Dico 2°: Nobis secundum carnem conjunctiores, sunt, per se loquendo, magis intensive diligendi, quam meliores extranei².

Prob. 1° quia intensio motus pendet a proprio agente³, quod natum est vehementius influere in propinquiora, quam in remotiora. Ergo.

2° Scriptura pluribus in locis nobis specialiter commendat dilectionem conjunctorum, præter speciale præceptum honorandi parentes, ut *Isa.*, LVIII, 7, post enumerata varia misericordiæ opera, additur: *Et carnem tuam ne despexeris*, id est eos qui tibi carnaliter sunt conjuncti. I *Tim.*, v, 8: *Si quis suorum, et maxime domesticorum, curam non habet, fidem negavit, et est infideli deterior*. Ubi Apostolus vocat suos, qui quovis modo sunt conjuncti, *domesticos* autem, qui sanguine sunt juncti.

3° Ad eos qui non sunt nobis conjuncti, non habemus

1. Hic q. 26, a, 7, o. — 2. Ibid. — 3. Ibid.

nisi amicitiam charitatis; ad conjunctos vero habemus alias amicitias, secundum modum conjunctionis, ut amicitiam filiorum ad parentes, et e contra, fratris ad fratrem, civis ad concivem, etc. Et quamvis isti amores sint naturales, aut morales, in hominibus tamen bene ordinatis imperantur a charitate; quia bonum super quod fundatur quælibet amicitia honesta, ordinatur tamquam ad finem ad bonum super quod fundatur charitas; unde sequitur quod charitas imperet actui cujuslibet alterius amicitie, sicut ars quæ est circa finem, imperat arti quæ est circa ea quæ sunt ad finem.

Dixi, « per se loquendo, » quia per accidens contingit quod meliores sint magis diligendi quam conjunctiores secundum carnem; ut si persona salvanda sit necessaria bono communi; si quis te a morte sive corporali sive spirituali, quam inferre volebant parentes, eripuit; si te a fratribus in extrema necessitate derelictum suscepit et curavit; si inter spiritualiter conjunctos sit arctissima necessitudo, et vix ulla inter remotiores consanguineos, ut in tertio, quarto vel quinto gradu. In his et similibus casibus, magis diligendi sunt meliores, quam carnaliter conjuncti.

Quæ contra hanc conclusionem objiciuntur, facile solvantur, habita præ oculis distinctione dilectionis objective et intensive.

Dico 3°: Inter varie conjunctos, carnaliter conjuncti, per se loquendo, sunt magis diligendi, in his quæ pertinent ad naturam, quam aliter conjuncti¹.

Supponit conclusio varios conjunctionis modos: 1° secundum carnem, ut inter parentes et consanguineos; 2° secundum societatem politicam, ut inter concives et commilitones, tum inter se, tum cum suis magistratibus et ducibus; 3° secundum rationem obsequii, sive spiritualis, sive temporalis.

Prob. concl.; quia intensio dilectionis est ex conjunc-

1. Ibid., a, 8, o.

tione dilecti ad diligentem; conjunctio autem carnalis originis est prior et immobilior, et est secundum id quod pertinet ad substantiam, aliæ autem sunt supervenientes. Ergo.

Dixi, « in his quæ pertinent ad naturam; » quia in his quæ pertinent ad alias conjunctiones, sunt magis diligendi qui secundum illas conjunguntur¹; intellige tamen extra necessitatem. Unde in re bellica, magis obeditur duci quam patri. Comparando tamen dilectionem dilectioni, conjunctionem conjunctioni, carnalis est cuiusque præferenda, ita ut, si non possint præstari ea quæ pertinent ad carnalem conjunctionem et ea quæ sunt propria illis conjunctionibus, ista sint omittenda, et conjunctiones deserendæ, si necesse sit. Sic miles debet militiam deserere, ut subveniat necessitati parentum, Religiosus exire e monasterio in eundem finem. Unde, simpliciter loquendo, carnaliter conjuncti sunt magis diligendi, quam aliter conjuncti.

Ex his colliges: 1º in gravi vel extrema necessitate, per se loquendo, magis esse succurrendum parentibus, filiis, uxori, et probabilius etiam fratribus et sororibus, quam cuivis benefactori quantumvis insigni. Dixi, « per se loquendo; » quod est verum sub iisdem exceptionibus secundæ conclusioni appositis. 2º Etiam in pari necessitate spirituali, probabilius parentes et filios carnales esse præferendos parentibus et filiis spiritualibus. 3º Patrem esse plus diligendum objective quam filium²; diligitur enim sub ratione principii, quod habet rationem eminentioris boni, et similioris Deo: filium autem esse diligendum plus intensive quam patrem³; est enim filius magis aliquid patris, quam pater sit aliquid filii. Absolute tamen loquendo, pater in necessitate est præferendus filio, quia pater diligitur ut causa, filius ut effectus; major est autem obligatio effectus ad causam, quam causæ ad effectum. 4º Patrem, per se loquendo, magis esse diligendum quam matrem, quia est nobilior principium quam

1. Ibid. — 2. Ibid., a. 9, o. — 3. Ibid.

mater¹. 5º Patrem, propter rationem supra allatam, esse magis diligendum objective et appetiative, quam uxorem, uxorem vero plus intensive quam patrem et filios; est enim conjunctior patri et filiis².

Cæterum observant theologi, ordinem in tribus ultimis consecrariis immutare, non esse grave peccatum, quia non est notabilis excessus unius supra alium.]

ARTICULUS IV

An et quo sensu liceat diligere Deum et illi servire propter retributionem?

Dico 1º: Fide certum est licere aliquo sensu Deo servire, sive illum diligendo, sive alia virtutum opera exercendo, propter retributionem.

Ita definitum est in concilio Trid., sess. vi, cap. 11 et can. 31, his verbis: « Siquis dixerit, justificatum peccare, dum intuitu æternæ mercedis bene operatur; anathema sit. »

[Hoc verum est, etiamsi homo non sit in statu justitiæ, ut patet ex condemnatione sequentis propositionis ab Alexandro VIII: « Quisquis etiam æternæ mercedis intuitu Deo famulatur, charitate si caruerit, vitio non caret, quoties intuitu licet beatitudinis operatur. » Est 13ª.]

Constat ex Scriptura, in pluribus locis. David, *Psal.* cxviii, 112, dicit: *Inclinavi cor meum ad faciendas justificationes tuas, propter retributionem.* Apost., *Hebr.*, xi, 8, 26, refert Abraham et Moysen bona egisse intuitu mercedis æternæ. Christus, *Matth.*, v, 12, incitat Apostolos ad tolerantiam passionum intuitu mercedis: *Gaudete, inquit, et*

1. Ibid., a. 10, o. — 2. Ibid., a. 11, o.

exultate, quoniam merces vestra copiosa est in caelis. Et Ecclesia canit de martyribus: « Tradiderunt corpora sua ad supplicia, ut hæredes fierent in domo Domini. »

Dico 2º: Non licet diligere Deum aut illi servire propter retributionem, tamquam propter finem rei amatae, seu Dei¹: tum quia Deus non potest ordinari ad aliquid tamquam ad finem, cum ipse sit finis ultimus ad quem omnia ordinantur; tum quia alioquin retributio amaretur plus quam Deus; finis enim plus amatur quam ea quæ sunt ad finem.

Dico 3º: Licet servire Deo, sive ipsum diligendo, sive virtutum opera exercendo, propter retributionem æternam, sic ut retributio sit finis dilectionis et bonorum operum, non ultimus, sed ulterius ordinabilis ad Deum².

Prob. prima pars. 1º Nulla est inordinatio, quod media ad finem suum proprium et legitimum, et merita ad præmium ordinantur. Atqui finis proprius et legitimus bonorum operum, eorumque præmium, est æterna beatitudo, juxta illud, *Matth.*, xix, 17: *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata.* Et, *I Petr.*, i, 9: *Reportantes finem fidei vestrae, salutem animarum.* Idque probant ea quæ protulimus pro prima conclusione.

2º Amicorum est ut quærant invicem frui. Atqui merces nostra nihil aliud est quam frui Deo. Ergo.

Prob. secunda pars. Finis noster ultimus est Deus. Atqui beatitudo æterna, licet objective sit Deus, formaliter tamen non est Deus, sed quid creatum, scilicet visio beatifica. Ergo.

Hinc sequitur tertia pars. Si enim possumus servire Deo propter retributionem æternam tamquam propter finem bonorum operum, sed non ultimum: ergo tamquam propter finem ulterius ordinabilem ad Deum, ita quod intendamus videre Deum, ut eum securius et intensius diligamus, atque in æternum laudemus et glorificemus; sic affecti, ut si nulla esset beatitudo speranda, nihilominus diligeremus illum atque illi serviremus.

1. In III *Sentent.*, dist. 29, a. 4, o. — 2. *Ibid.*

Dico 4º: Licet servire Deo intuitu mercedis temporalis, non tamquam finis proprie dieti bonorum operum; inordinatum enim esset quod actus virtutum, qui sunt præstantiores bonis temporalibus, tamquam media ad illa ut ad finem ordinarentur; sed tamquam boni alicujus, vel finem comitantis, vel ad eum conducentis; ita ut se habeant tantum ut quædam motiva accessoria. Juvant enim nos bona temporalia ad finem supernaturalem consequendum: 1º in quantum per illa vita hæc corporalis, in qua sola datur copia beatitudinem merendi, sustentatur; 2º in quantum nobis organice deserviunt ad actus virtutum.

Id confirmat praxis Ecclesiæ, quæ petit a Deo serenitatem, pluviam, fruges, etc. Imo ipse Christus, qui jubet nos in Oratione Dominica petere panem nostrum quotidianum.

ARTICULUS V

De præcepto charitatis

Petes 1º utrum detur speciale præceptum diligendi Deum actu interno.

Non pauci docuerunt, non dari præceptum speciale et a cæteris distinctum diligendi Deum actu interno explicito, sed dilectionem Dei præceptam nihil aliud esse quam observantiam cæterorum mandatorum, etiam sine ullo internæ dilectionis affectu; quod sane non parum offendit piæ aures. Contra quos itaque

*Resp.*¹ Datur speciale et a cæteris distinctum præceptum diligendi Deum affectu et actu interno explicito, et non solum effectu, observando cætera mandata.

Prob. 1º ex his Christi verbis, *Matth.*, xxii, 37-40: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et in tota anima*

1. Hic q. 44, a. 1, ad 1.

tua, et in tota mente tua. Hoc est maximum et primum mandatum. Secundum autem simile est huic : Diliges proximum tuum sicut teipsum. In his duobus mandatis universa lex pendet. Idem legitur Deuter., vi, 5, et Luc., x, 27.

Ex his triplex formo argumentum.

Primum. Juxta Augustinum et omnes interpretes, verba Scripturæ in sensu naturali et obvio accipienda sunt, nisi obstat grave inconveniens. Atqui ista verba : diligere ex toto corde, in tota anima, in tota mente, naturaliter et obvie affectum et actum internum dilectionis significant, nec nisi per apertam violentiam in alium sensum detorqueri possunt, neque huic sensui ullum obstat inconveniens ; quin imo in hunc sensum omnia conspirant. Ergo.

Secundum. Inter ea quæ distincta non sunt, non potest numerari primum, secundum et tertium, neque unum potest dici maximum : hoc per se patet. Atqui, juxta Scripturam citatam, præceptum dilectionis Dei inter cætera numeratur primum, præceptum dilectionis proximi, secundum, cætera quæ in his duobus pendent, tertium. Item, præceptum dilectionis Dei dicitur maximum inter alia. Ergo præceptum dilectionis Dei est speciale et distinctum a cæteris præceptis.

Tertium. Nihil pendet a seipso. Atqui lex seu præcepta totius legis pendent ab his duobus præceptis. Ergo hæc duo præcepta sunt a cæteris distincta.

Confirm. Scriptura distinguit dilectionem Dei et observantiam mandatorum, ut causam et effectum, ut signum et significatum, *Joann.*, xiv, 15 : *Si diligitis me, mandata mea servate.* Ubi dilectio assignatur ut causa observantiæ mandatorum, et observantia mandatorum ut signum dilectionis.

Huc faciunt sequentes propositiones damnatæ : Prima : « Homo nullo unquam vitæ tempore tenetur elicere actum fidei, spei et charitatis ex vi præceptorum divinarum ad eas virtutes pertinentium. » Est prima inter damnatas ab Alexandro VII, anno 1665.—Secunda : « An peccet mortaliter qui actum dilectionis Dei semel tantum in vita

eliceret, condemnare non audemus. »—Tertia : « Probabile est, ne singulis quidem rigorose quinquenniis per se obligare præceptum charitatis erga Deum. »—Quarta : « Tunc solum obligat, quando tenemur justificari, et non habemus aliam viam qua justificari possumus. » Sunt quinta, sexta et septima inter damnatas ab Innocent. XI, anno 1679.—Quinta : « Finem ultimum homo non tenetur amare neque in principio, neque in decursu vitæ suæ moralis. » Est damnata ab Alexandro VIII, 24 aug. 1690.

Quod diximus de præcepto diligendi interne Deum, dicendum est de præcepto diligendi interne proximum, propter easdem rationes, quibus adde : Jubemur diligere proximum sicut nos ipsos ; nos autem diligimus nos affectu interno. Item, *Joann.*, xv, 12, dicit Christus : *Hoc est præceptum meum, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos.* Christus autem dilexit nos, non solum per opera externa, sed affectu interno.

Neque dicas, proximum sublevari dumtaxat opere externo, nec curare affectum internum. Falsum namque est utrumque assumptum. Sublevatur enim proximus etiam orationibus internis, et dedignaretur opus externum, si sine affectu illi exhiberetur.

Hinc sequentes propositiones damnatæ ab Innocentio XI : « Non tenemur proximum diligere actu interno et formali. » Est decima.—« Præcepto proximum diligendi satisfacere possumus per solos actus externos. » Est undecima.

[*Petes* 2º an teneamur ad agendum semper ex motivo charitatis.

Resp. negative. 1º Actus aliarum virtutum propter propria motiva elicitur sunt boni, ut actus fidei et spei, qui etiam in statu peccati sunt obligatorii. Conc. Trid., sess. xiv, cap. 4, declarat attritionem esse donum Dei et disponere poenitentem ad justificationem. Item sess. vi, can. 31, definitur : « Si quis dixerit justificationem peccare, dum intuitu æternæ mercedis bene operatur ; anathema sit. » Damnata sunt ab Alexandro VIII propositiones sequentes :

8^a « Necessè est infidelem in omni opere peccare. » —
 13^a « Quisquis etiam aeternae mercedis intuitu Deo famu-
 latur, charitate si caruerit, vitio non caret, quoties intuitu
 licet beatitudinis operatur. » — 15^a « Attritio quae gehennae
 et poenarum metu concipitur, sine dilectione benevolen-
 tiae Dei propter se, non est bonus motus ac supernatu-
 ralis. »

2^o Dantur actus indifferentes ex sua specie¹, id est actus
 qui quamdam bonitatem naturalem habent, sed neque
 boni neque mali sunt in ordine supernaturali; et hi actus
 sunt liciti, ut probatum est in tract. *de Actib. hum.*, dis-
 sert. IV, art. 4. Atqui, si semper ex motivo charitatis
 esset agendum, tales actus non essent liciti. Ergo.]

Petes 3^o quandonam obliget praeceptum charitatis.

Resp. Praeceptum dilectionis Dei per se obligat: 1^o Initio
 usus rationis ad hoc sufficientis. De quo sat dixi in tract.
de Peccatis, dissert. VIII, art. 6.

2^o Obligat per se in fine vitae; quia, cum tunc spiritus
 revertatur ad Deum qui creavit illum, et diabolus maxime
 illi insidietur, gravissimae negligentiae et contemptus accu-
 saretur homo, si non se converteret per amorem ad
 Deum, cui sperat amore aeterno conjungi in beatitudine.

3^o Obligat per se saepius in vita, cum charitas sit virtus
 praecipua qua tendimus in finem propter quem creati
 sumus. At quoties et quando, incertum est.

Quidam assignant dies dominicos et festos, in quibus
 cum fideles colunt Deum ut omnium rerum principium,
 inde incitantur etiam ad eum amandum. Alii semel aut
 bis in septimana actum dilectionis requirunt. Sed cum,
 ut dixi, haec incerta sint, hortandi sunt fideles ut saepe et
 saepissime, in quantum possunt, in his actibus charitatis
 se exerceant. Quod facile praestabunt, si cum attentione et
 affectu recitent Orationem Dominicam, in cujus recita-
 tione exercetur actus formalis dilectionis Dei, dicendo:
Sanctificetur nomen tuum; hoc enim non est aliud quam

1. 1^a 2^a, q. 18, a. 8, o.

velle quod nomen Dei ubique et ab omnibus habeatur
 sanctum et glorificetur.

[Sic autem S. Ligor., *Homo apost.*, IV, 13: « Circa actum
 charitatis, magis mihi arridet sententia eorum qui eum
 requirunt semel in mense, dum difficulter observare pote-
 rit legem divinam, qui frequenter suum ergo Deum amo-
 rem actibus positivis non exercet. »

Quod frequenter eliciendi sint actus charitatis, patet ex
 sequentibus verbis, *Deuter.*, vi, 5-8: *Diliges Dominum
 Deum tuum ex toto corde tuo et ex tota anima tua, et ex tota
 fortitudine tua. Eruntque verba haec, quae ego praecipio tibi
 hodie, in corde tuo, et narrabis ea filiis tuis, et meditaberis
 in eis sedens in domo tua et ambulans in itinere, dormiens at-
 que consurgens, et ligabis ea quasi signum in manu tua.* Appa-
 ret autem ex ipso textu quod actus impliciti sub hoc prae-
 cepto includantur et per eos impleatur; nam actiones enu-
 meratae non sunt per se charitatis actus. Unde praecepto
 charitatis facile satisfaciunt fideles qui pie vivunt, orant,
 sacramenta suscipiunt, vitant peccatum ne Deum offend-
 ant et ei displiceant, divinam voluntatem in omnibus
 amplectuntur et propriae voluntati praeposunt, etc. Hor-
 tandi sunt tamen ut actus explicitos frequenter eliciant,
 quia sunt Deo gratissimi, habitum charitatis firmant et ex
 eis crescit devotio.

Patet eos praecepto charitatis non satisfacere, etsi
 ignorantia saltem ex parte excusentur, qui in statu pec-
 cati mortalis per menses remanent; nec eos qui peccatum
 quidem detestantur, sed ex sola attritione, quae ad
 rationem verae charitatis non attingit.]

Per accidens autem obligat praeceptum charitatis, quo-
 ties urget aliud praeceptum quod non potest impleri sine
 dilectione Dei; quia qui tenetur ad finem, tenetur ad
 media.